

„straheretur. Nuntius ubi ac-
 „cessit ad eum, & patrum
 „mandatum illi exposuit, il-
 „que extemplo alterum pro-
 „duxisset pedem, patrum hor-
 „tationi obsequuturus; per-
 „misit sua ac propria vivendi
 „via incedere, sic eum affa-
 „tus: *bono animo sis, & stre-
 „nue rem gere: statio tua a Deo
 „est instituta.* „ Haftenus Eva-
 „grii verba, quæ satis indicant
 summam sanctissimi hujus viri
 humilitatem; qui quum in-
 telligeret, genus illud vitæ a
 Deo probatum fuisse, quod
 quotidiana ejus miracula de-
 clarabant, maluit tamen pa-
 trum judicio, quam suo, niti.
 Unde illa promptissima obe-
 dientia ortum habuit. Hic igitur
 hoc Domini præceptum, quo nos
 instar parvulorum demitti atque
 humiliari jubet, perfecte adimplevit.

§. III.

Arbitror autem, fratres, ob
 ea, quæ haftenus de humilitatis
 laude diximus, vos, ejus amore
 captos, scire etiam velle, quonam
 modo eam comparare possitis. Plane
 fateor, non perinde facile esse, ad-
 ultum hominem in hunc parvulum,
 quem Dominus proposuit, commutari.
 Sic enim natura comparatum est,
 ut quo

quæque res utilior & præstantior
 sit, hoc sit etiam difficilius: quod
 in hac virtute cernere licet. Vere enim
 tota carnis militia, peccati morbo in-
 fecta, huic puerorum simplicitati atque
 humilitati repugnat. Quid enim aliud
 tota vita homines per tela, per ignes,
 nisi primatum, honorem & gloriam,
 quærunt? Itaque perinde est superbo
 homini, ut se ad parvuli humilitatem
 demittat, suadere, ac si claudo cursum
 imperes; nisi divinus Spiritus adsit,
 qui eum hoc parvulorum spiritu imbuat:
 ideoque paucos admodum hac ætate
 reperire licet, qui hoc modo parvuli
 sint.

Quid igitur nobis factum opus
 est, quo hanc adeo necessariam
 virtutem adipiscamur? Ad hoc sane
 viam nobis ipsa humilitatis definitio
 aperit, quam D. Bernardus describit
 his verbis: *humilitas est virtus, qua
 homo vilissima sui cognitione sibi ipse
 vilescit.* Ex qua definitione liquet,
 veram inopiam atque vilitatis suæ
 cognitionem, humilitatis fundamentum
 esse. Ex hac enim cognitione, quæ est
 in intellectu, despectio atque contemptus
 sui nascitur, qui in voluntate est:
 in qua humilitas, tamquam
 in

in subjecto, resider. Hæc autem
 cognitio exigit primum, ut omnia
 præteritæ vitæ peccata nobis ante
 oculos proponamus: quorum considera-
 tione supercilium deponentes, nos cum
 evangelico publicano indignos existime-
 mus, qui ad cælum oculos levare
 audeamus. Solent studiosi vinearum
 cultores tribulos & sentes, ne vitibus
 nocent, radicibus evellere, ex illisque
 vallum & septum vineæ conficere,
 quo furibus aditum in vineam præcludant:
 ita fit, ut illud ipsum, quod vineæ
 nocumento erat, custodiæ serviat.
 Hos igitur imitemur, quisquis ex
 præteritæ vitæ spinis & sentibus,
 quas per veram poenitentiam ab anima
 sua revulsi, se se dejectiendi atque
 humiliandi materiam sumit: atque
 ira per humilitatis virtutem, ex
 peccatorum recordatione manantem,
 animæ suæ vineam custodiat.

Deinde, quantum nobis ad
 christianæ vitæ perfectionem desit,
 studiose consideremus. Hac enim
 ratione quidam ex sanctis illis
 eremi patribus, ut Joannes Climacus
 scribit, superbæ tumorem colaphis
 cadebat. Descripserat enim in cellulæ
 pariete altissimarum virtutum
 appellationes; puta, per-

Tom. III.

fectæ caritatis, angelicæ humilitatis,
 mundissimæ orationis, incorruptibilis
 castitatis, & hujusmodi virtutum
 reliquarum. Quum ergo illum cogitationes
 extollere cœpissent, dicebat illis:
 eamus ad argumentum; adveniensque
 relegerat appellationes, sibi que ipse
 clamabat: quum has omnes possederis,
 tunc scies, quam longe adhuc a Deo
 sis. Quum enim ea possederis,
 servus eris inutilis: fecisti enim,
 quod facere debuisti. Ad hæc,
 divina quoque beneficia, & virtutis
 adjumenta, quæ a Deo percepimus,
 ad mentem revocabimus; invenimusque,
 nequaquam nos his cælestibus
 donis, quibus alii meliores efficerentur,
 pro dignitate satisfecisse. Sic enim
 fiet, ut ex divinis beneficiis, & cælestibus
 donis, quibus alii insolescere solent,
 nos humiliandi atque submittendi
 materiam arripiamus. Hac enim
 consideratione viri sancti se graviter
 accusant, adeoque se non efferrunt,
 ut semper Deo se debitores esse
 fateantur.

Postremo, illud maxime ad hanc
 virtutem pertinet, ut vir pius luce
 clarius agnoscat, si quidquid recte
 cogitat, aut molitur, non opis &
 virtutis suæ, sed gratuitum
 divinæ miserationis.

D

tio-

tionis beneficium esse. Hoc enim passim divina eloquia testantur. Tale est illud Apostoli: (a) *cum timore & tremore salutem vestram operamini: Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et iterum: (b) *quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sic & apud Joannem Dominus: (c) *sine me, ait, nihil potestis facere.* Et iterum: (d) *sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis.* Horum autem divinarum testimoniorum, aliorumque similium auctoritate, Pelagiana hæresis in concilio Milevitano damnata est, quæ, sola liberi arbitrii facultate, sine cælestis gratiæ auxilio, nos opera æterna vita digna facere posse, impie assererat. His igitur considerationibus pius homo illud Ecclesiastici consilium implendum curat: (e) *humilia valde spiritum tuum.* Quo enim magis illum ante divinæ majestatis conspectum demiseris, hoc magis illam suspicies & veneraberis. Hac enim de causa idem Ecclesiasticus ait: (f) *magna potentia Dei solius, & ab*

humilibus honoratur. Quo minus mirandum est, si magnis illos Deus honoribus afficiat, a quibus maxime honoratur, quum scriptum sit: (g) *ego glorificantes me glorifico.* His igitur sanctis cogitationibus, fratres, veram cordis humilitatem consequi poterimus, si his tamen assiduum orationis studium adjungamus, qua continenter altissimam hanc virtutem a Domino virtutum crebris gemitibus, ardentibusque desideriis postulemus.

§. IV.

Sed jam, quid de hoc parvulo, quem oratione descripsimus, Dominus dicat, videamus. *Qui, inquit, suscepit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Magnum sane præmium, & quo nullum majus: quia tali hospite nihil majus. Quid igitur qui offenderit? Subdit protinus: *qui autem scandalizaverit unum ex his pusillis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Videamus primum, quid scandalum sit. Scandalum, Latinis offendiculum est, quod incaute gradientibus lapsus & ruinæ cau-

(a) Philip. 2. 12. (b) 1. Corinth. 4. 7. (c) Joan. 15. 5. (d) Ibidem, v. 4. (e) Eccli. 7. 19. (f) Eccli. 3. 21. (g) 1. Reg. 2. 30.

sa existere solet. Hoc si a corpore ad animum transferamus, scandalum erit, quod propheta dixit: (a) *in via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Quicumque enim aut verbis, aut pravis etiam exemplis alteri occasionem præbet ruinæ, utique scandalum sive offendiculum in via ponere dicitur. Verbi causa. Qui hominem, aliqua injuria affectum, adulationibus pravisque consiliis ad vindictam expetendam inducit; is plane offendiculum ejus pedibus subjicit. Scandalum item est, quum quis innocentem virginem verbis, litteris, munusculis, promissis, internuntiis, ceterisque malis artibus, ad pudoris jacturam sollicitat. Sic etiam quum eadem virgo, instar Jezebelis, oculos suos pingit stibio, & meretricio habitu cultuque ornata, in edito loco sedens, prætereuntes, & simpliciter in via gradientes, in sui amorem pellicere intendit; scandalum & laqueus diaboli est. Quum præterea pater in filiorum conspectu impudenter & frequenter jurat, pejerat, & sacrilegum os in cælum ponit, & diris omnibus famulos devovet, & pictis ludit patrimonium

chartis; unde fit, ut hoc exemplo filii famulique inducti, idem facere discant: scandalum plane, & quidem gravissimum, est. Quicumque præterea piorum hominum simplicitatem derident, eosque ignominiosis nominibus appellant; quo fit, ut alii, puerili metu territi, virtutis viam horreant, vel coeptam deserant: hoc eodem peccati genere delinquant.

Quale autem quantumque hoc scelus sit, late Dominus in præfenti evangelio deplorat. Si enim fur, qui decem aureos e domo tua clanculum surripuit, capitis supplicio commissi poenas luit; qua poena digni erunt, qui ex anima tua Deum, hoc est, summum bonum, surripuerunt, & pro illo satanam supposuerunt? Sunt plane multa reprobationis signa, quæ sancti patres commemorant: inter quæ præcipuum mihi locum hoc sceleris genus habere videtur. Justitiæ enim & æquitatis ratio hoc exigit, ut qui alterius animam perdidit, suam perdat. Sic enim olim divina lex sanxit: (b) *animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, adustionem pro adustione.* Justum ergo est, ut quæ nos mala innocentibus irroga-

D 2

VI-

(a) Psalm. 141. 4. (b) Exod. 21. 23. 24.

vimus, ipsi patiamur. Sic Pharaon, qui ferale immanitate Hebræorum pueros aquis interimebat; (a) aquis ipse quoque, divina perurgente vindicta, interemptus est. Sic David, qui alienam uxorem violavit, & maritum gladio sustulit; eadem mala, & multo etiam graviora, non ab exteris, sed a parricida filio, (b) perpeffus est. Sic Adonibezec, qui regibus, quos bello ceperat, pedes & manus amputabat; simili modo ipse quoque, Deo ita disponente, (c) truncatus est. Quid igitur ex his sequitur, nisi ut qui animam, Christi sanguine redemptam, satanæ tradidit, ipse quoque eidem torquendus tradatur? Quocirca Dominus vehementer nos in hujus sacræ lectionis fine ab hoc pestilenti crimine revocat, dicens: *videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia angeli eorum in calis semper vident faciem Patris mei, qui in calis est.*

Hactenus a peccato scandali nos Dominus, proposita periculi nostri magnitudine, deterruit: nunc, parvulorum dignitate exposita, a quovis peccandi genere animum nostrum revocat; quod videlicet angeli, quorum

tutelæ commissi sunt, cælestis Patris faciem, quæ summa eorum gloria est, perpetuo videant. Magna profecto, ut D. Hieronymus ait, *dignitas animarum, ut unaquæque ab exordio nativitatis suæ angelum habeat delegatum.* Sic etiam glossa hoc in loco: *unicuique, ait, nostrum adest angelus, qui regat, qui moneat, qui pro actibus nostris corrigendis, & misericordibus impetrandis quotidie Dei faciem videat.* Si quis vero hanc tantam hominis dignitatem, quam sacræ litteræ prædicant, miratur; multo magis mirabitur, hoc ipsum etiam, ut Seneca refert, Stoicorum dogma fuisse. Ejus hæc verba in epistola 3. sunt: „ seponere in præsentia quæ quibusdam placet, unicuique nostrum patrem, dagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex horum numero, quos Ovidius ait, de plebe Deos. Ita tamen hoc seponas volo, ut memineris, majores nostros, qui crediderunt hoc, Stoicos fuisse, se. „ Hactenus ille. Itaque quod nos tutelares angelos appellamus, quos catholica & evangelica fides asserit ad custodiam nostri destinatos, philo-

(a) Exod. 14. 28. (b) 2. Reg. 16. 22. (c) Judic. 1. 6.

28821

lophi isti, nescio quo spiritu acti, sub inferiorum Deorum nomine ad idem munus deputatos confitentur. Hi vero angeli magna cura munus suum obeunt, non justos modo, sed injustos etiam suæ fidei commissos custodientes: quoniam divinæ prædestinationis arcana illis prorsus incognita sunt; quandoquidem divina electio atque prædestinatio nullum in prædestinati anima characterem aut signum imprimit, quod tamen sacramenta quædam faciunt, ideo non indiligenter improbos etiam homines custodiunt, quos, an prædestinati sint, ignorant. Quid enim non custodiant, qui videant, publicanum cooptari in evangelistam, & ecclesiæ persecutorem in doctorem gentium?

Quid autem nobis præstent angeli, Exod. 23. Dominus declarat his verbis: (a) *ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparavi tibi.* Qua in re singularem divinæ providentiæ curam licet admirari, quam Ecclesiasticus insinuavit his verbis: (b) *omnia duplicia; unum contra unum, & non fecit quid-*

Tom. III.

(a) Exod. 23. 20. (b) Eccli. 42. 25. (c) Eccli. 28. 29.

quam deesse. Quia enim multa in rebus conditis erant, quæ nobis nocerent; decuit, ut multa etiam illis adversa & inimica essent, quæ nos tuerentur, & illorum vim reprimerent. Ad hunc ergo modum, quia quamdiu in hoc corpore militamus, non desunt spiritus nequam, qui sint ad malum incitatores; non desunt etiam angeli, qui sint ad bonum hortatores: qui videlicet nos præcedant, hoc est, qui lucem nobis ad veritatis cognitionem præferant, qui viam, qua itur in cælum, monstrant, qui ab hostibus tueantur, qui a sceleribus avocent, & ad honesta semper inducant. Sicut ergo illi semper mala suggerunt, ita contra isti semper honesta suadent.

Quum igitur has in animo tuo voces audis, ne inimico tuo parcas, ne reddas quod alteri debes, ne pauperi tribuas, ne inimicum alloquaris, aut beneficiis promerearis; vindictam de illo fume, contumeliis affice, sordida & spurca verba loquere, absentibus detrahe: voces has dæmonis in peccati te barathrum præcipitantis certissime scias. Quam ob rem (c) *sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam,*

D 3

&

& cum propheta dic: (a) *narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Quum vero contra audis: parce veniam petenti; redde quod alteri debes, libenter tribue, amicum in Deo, & inimicum propter Deum dilige; terrenas opes contemne, caelestes admirare; ne pejeres, ne detrahas, ne maledicas, ne sordida & scurrilia verba loquaris: voces esse intellige solliciti custodis, qui te hoc virtutis tramite in terram viventium, quam piis omnibus Dominus pollicitus est, introducere vult. His enim cogitationibus & verbis angeli gaudent, illis immundi spiritus pascuntur. In vitis patrum legimus, sanctissimum quemdam virum inter colloquentes monachos vidisse angelos ibidem adstantes, quibus paulo post abscedentibus, magnum porcorum gregem inter eos volutari conspexit. Quam rem vehementer admirans, & causam diligenter inquirens, deprehendit, eos initio quidem de spiritualibus atque divinis rebus inter se colloquia miscere coepisse, deinde vero linguæ lapsu ad vana colloquia sermonem convertisse. Quod sanctus ille audiens, revelatione pate-

facta, vehementer eos ab ejusmodi colloquiis deterruit, & ad salutaria & honesta adhortatus est: quibus præcipue angeli interesse solent.

Sunt præterea iidem spiritus non modo mentis nostræ monitores, sed etiam animarum nostrarum in cælum portitores. Hoc enim de mendico Lazaro Dominus ait: (b) *factum est ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahae.* Sed hoc tamen officium archangelo Michaëli præcipue demandatum est; sic enim de eo canit ecclesia: „data est potestas „ archangelo Michaëli super „ animas sanctorum, ut perducat eas in paradysum exultationis. „ Magnus certe principatus, qui in hora mortis cujusque nostrum exercendus est. Hæc enim dies de tota vita nostra, immo de tota æternitate, sententiam fert: quoniam, ut D. Gregorius ait, *post supremum illud examen, homo inveniet, quod in æternum mutare non poterit.*

Quid igitur ex his colligere licet, fratres? Primum quidem, ut, dum tempus suppetit, sic vitam instituamus, ut propitium ac benevolum angelorum principem in hoc adeo tremendo

(a) *Psalm. 118. 85.* (b) *Luc. 16. 22.*

do temporis articulo invenire possimus. Deinde, ut immortales Deo gratias, propter angelorum custodiam ad salutem nostram destinatam, semper agamus. Postremo, ut illud D. Bernardi consilium ante oculos nobis proponamus: *quovis angulo, quovis loco reverentiam habe angelo tuo, & ne audeas coram illo facere, quod me præsentem non auderis.* Unde posteaquam Dominus dixisset: (a) *ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat te;* subdit protinus: (b) *observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet, quum peccaveris, & est nomen meum cum illo.* Habes igitur in his verbis præsentem angelum, quem in omni loco vereri debeas. Quid si addam, te non ab angelo solum, sed ab ipso etiam superno iudice videri? (c) *Ipse enim stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quid est autem, post parietem stare, & per cancellos prospicere, nisi ita alios videre, ut ipse tamen, qui videt, ab illis minime videatur? Hoc autem modo videt ille, qui peccata

nostra per prophetam improperans, ait: (d) *ego tacens, & quasi non videns, & mei oblitas.* Sed is tamen, quem putamus non videre, alibi etiam ait: (e) *& faciebatis malum in oculis meis.* Et: (f) *ego sum iudex & testis, dicit Dominus.* Ergo & angelum, & angelorum Dominum nostris operibus testes semper assistere considerantes, demus operam, ne quid purissimis eorum oculis indignum committamus; neve, qui rationales a Deo conditi sumus, pudore & verecundia ab elephantis superari patiamur. De his namque scriptum est, quod, quum sobolis propagationi dant operam, conspectus hominum fugiant, & forte intervenientem occidant. Si igitur animalia bruta pudore hominum continentur; cur nos Dei, omnia contuentis, & sanctorum & angelorum præsentia non contineat?

Inter varia moralis philosophiæ documenta non postremum obtinet locum, quod Seneca tradit his verbis: (g) „ a „ liquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante „ oculos habendus, ut sic tam „ quam

D 4

(a) *Exod. 23. 20.* (b) *Verf. 21.* (c) *Cantic. 2. 9.* (d) *Isai. 57. 11.* (e) *Isai. 65. 12.* (f) *Jerem. 29. 23.* (g) *Seneca ad Lucilium extrema epist. 11.*

„ quam illo spectante vivamus,
 „ & omnia tamquam illo vi-
 „ dente faciamus. Hoc, mi Lu-
 „ cili, Epicurus præcepit: cu-
 „ stodem nobis & pædagogum
 „ dedit, nec immerito. Magna
 „ pars peccatorum tollitur, si
 „ peccaturis testis assistat. A-
 „ liquem habeat animus, quem
 „ vereatur, cujus auctoritate
 „ etiam secretum suum san-
 „ ctius faciat. O felicem illum,
 „ qui non ad spectum tantum,
 „ sed etiam cogitatus emen-
 „ dat! O felicem, qui sic ali-
 „ quem vereri potest, ut ad
 „ memoriam quoque ejus se
 „ componat atque ordinet! Qui
 „ sic aliquem vereri potest, ci-
 „ to erit verendus. Elige ita-
 „ que Catonem: si hic vi-
 „ detur tibi nimis rigidus, eli-
 „ ge remissioris animi virum,
 „ Lælium; elige eum, cujus ti-
 „ bi placuit & vita, & oratio;
 „ & ipsius animum ante te fe-
 „ rens & vultus, illum semper
 „ tibi ostende, vel custodem,
 „ vel exemplum. Opus est, in-
 „ quam, aliquo, ad quem mo-

„ res nostri se ipsi exigant. Ni-
 „ si ad regulam, prava non
 „ corriges. „ Hactenus ille. At
 „ quæ alia commodior vitæ re-
 „ gula, quis testis nobis sanctior,
 „ quam Dei & angelorum con-
 „ spectus? Hoc autem, fratres,
 „ inter spiritualis vitæ consilia
 „ maxime commendatur, ut om-
 „ ni tempore, omnibusque in
 „ locis Deum præsentem habeam-
 „ us. Itaque sive domi residen-
 „ tes, sive in via gradientes, si-
 „ ve in æde sacra, sive in platea,
 „ sive in otio, sive in negotio,
 „ sive in mensa dum cibum capi-
 „ mus, sive in lecto dum quieti
 „ membra componimus, Deum
 „ semper, quatenus per infirmi-
 „ tatem humanam licuerit, in-
 „ tueamur, nec ab illius con-
 „ spectu mentis nostræ aciem
 „ usquam deflectamus. Hac e-
 „ nim ratione fiet, non solum
 „ ut is & testis nobis & ad-
 „ jutor sit ad vitæ innocen-
 „ tiam, sed dux etiam & an-
 „ tesignanus ad immortalitatis
 „ & felicitatis sempiternæ glo-
 „ riam.

IN



IN EODEM FESTO
 SANCTI MICHAELIS
 CONCIO SECUNDA,
 IN QUAM LECTIO EVANGELICA
 explanatur.

*THE. Angeli eorum in calis semper vident faciem Patris mei,
 qui in calis est. Matth. XVIII. 10.*

*** Uum peccata omnia,
 * Q * dilectissimi, aut car-
 * * nalia sint, aut spiri-
 *** tualia; constat pla-
 ne, spiritualia esse carnalibus
 graviora: in quorum numero
 superbiam præcipue colloca-
 mus. Habet autem superbia
 tria insignia mala. Primum,
 quod inter maxima crimina
 numeretur; hoc enim illa Da-
 vidis verba indicant: (a) *si mei
 non fuerint dominati, tunc im-
 maculatus ero, & emundabor a
 delicto maximo.* Maximum ve-
 ro delictum appellat super-
 biam; de qua prophetam lo-
 qui, versio Hieronymi ex He-
 braeo declarat: qui pro eo quod
 nos legimus: *ab occultis meis
 munda me*; ille vertit: *a super-
 bis quoque libera servum tuum,*

&c. Ideo autem superbia de-
 lictum maximum appellatur,
 quia singulari quadam ratione
 cum divina mente pugnat. Tria
 enim sunt peccatorum genera,
 quorum alia ipsum hominem
 sibi, alia proximum, alia Deum
 eripiunt. Ira enim hominem si-
 bi ipsi eripit: quoniam iratus,
 quo tempore ira æstuat, sui ju-
 ris non est, quæ rationis com-
 pos non sit, quæ propria est
 hominis. Invidia autem proxi-
 mum mihi, ejusque bona eri-
 pit. Si enim me caritas unum
 cum proximo efficit, ejusque
 bona, mea per amorem facit;
 consequens est, ut invidia, quæ
 caritati adversatur, illum mi-
 hi, ejusque bona adimat: qui-
 bus ego adeo non fruor, ut il-
 lis etiam propter invidiæ ta-
 bem

(a) Psalm. 18. 14.